



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 1. De Corcyrâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

pes alit, immo neque serpentes, eos potissimum qui veneno nocent, nisi fortè Phalangium, vulgò *Sphalangi*, Italis *Tarantula* quod species videtur Aranci; quem pungit istud animal, enecat stupido quodam dolore, cui malo Harmonia medicinam facit. Insula portus habet commodissimos & plures, quare nonnisi ægrè seruari potest contra potentissimum hostem.

NVM. 3. *Mores Cretensium.*

CRETENSES in præsentia molles & timidi, si *Sfachiotas* exceperis hominum genus ad arma natum, quorum dialectus est Italica multis vocibus Græcis admixta; *Tzopelonas* hos Græci vocare solent, quoniam eorum pleræque voces inchoantur à TZ. Reliqui mores induere Dominorum suorum. Indigenæ malè inter se conveniunt, ex quâ discordiâ imminet Insulæ ruina. Certè ætate nostrâ Turcas à Sfachiotis adiutos esse, Veneti grauitèr conqueruntur.

NVM. 4. *Politia Creta.*

AD Insulam administrandam altero quoque anno duo Veneti nobiles mittuntur, Dux vnus, alter Capitaneus dicitur. Quatuor millia stipendiariorum seruant Insulam, quibus adiunguntur mille *Sfrachiotæ*, quos indigenæ patres suos, atque tutores vocant. Veneti totam Insulam inter suos nobiles distribuerunt in 394. Baronias, *Caualerias* nominant, quas iterum in municipia diuiserunt, *Seruanteries* indigetant. Nobiles quoque Cretenses nobilibus Venetis accensent, vt eos in fide & obsequio Reip. suæ contineant. Nunc verò magnâ eius parte potitur Ottomanus, Venetis reliquias Insulæ ægrè seruantibus, indigenis aut mussitantibus, aut etiam ad nouum Dominum aspirantibus.

§. 2. *De minoribus Insulis Græciæ iuris Veneti.*

NVM. 1. *De Corcyra.*

CORCYRA, hodie *Corfou*, seu *Corfu*, excurrit secundùm longitudinem à *Lascano* Pro. Australi ad Pro. *Sidari* Boreale ad 40. mil. pass. patet: quæ longitudo est Geographica latitudo: secundùm latitudinem à Castro S. Angeli, quod *Sant Agnòlo* vocant ad Corcyram 20. millia passuum, ambitus eius centum millibus definitur.

*Parall. Geogr. Tom. II.*

Nnn

Abundat vino, oleo, & omnis generis fructibus. Frumentum antea parcè reddebat, sed huic malo prouifum est à Venetis, qui lacus aliquot exficcauerunt ex quibus iam frumenti ingens copia percipitur. Aquas etiam habet plurimas nauigationi Venetorum perutiles. Hinc quoque mel, cera, fal, herbæ medicæ efferuntur.

Linguâ vtuntur indigenæ partim Græcâ inquinatiffimâ, partim Albanâ: hîc enim plurimi Albani degunt. Fæminæ Phrygias vestes eleganter, & peritè elaborant, viri ferè otio torpent.

Armare potest Insula 20. hominum millia, ex quibus tria millia elegere Veneti, quos ad bellicas artes sollicitè erudiunt, ad Insulæ tutelam. 500. stipendiariis pedibus seruantur arces, 150. equitibus Albanis, seu Stratiotis littus defenditur. Regitur à Venetis iam ab anno 1382. quando sese indigenæ spontè Reip. sapientiffimæ submiserunt. Administratur autem à duobus nobilibus Venetis; vnus dicitur *Bailo* qui adiunctum habet sibi consiliarium *Assessorum*. Alter *Prouidador*, quasi Prouisor, cui coniunctus est *Quæstor*. Ex Venetis legibus ius Insulanis redditur. 12. millia Ducatorum vectigal Reip. pensitat, & 200. millia modiorum salis: qui sal conficiunt magnis immunitatibus gaudent, quarum præcipua quòd ab Aprili mense ad Nouembrem in ius vocari non possunt; quia toto hoc tempore sal vel coquitur, vel colligitur.

#### NVM. 2. De Cephaloniâ.

CEPHALONIA, vulgò *Cephalogna*, secundùm longitudinem excurrit ad 80. mil. pass. maxima eius latitudo 50. mil. minima 20. ambitus 160. distat à Zacyntho, freto interiecto, 12. mil. pass.

Regio est paulò ficior, abundat tamen oleo, frumento, vino, serico, lanâ, melle, cerâ, & mannâ. Incolæ partim Græci, partim Itali, Græcè vel Italicè loquuntur, omnes inquinatè. Diuiditur Insula in 19. partes *Pertinenzas* vocant, in quibus familiarum 6. millia numerantur: 4. millia expeditorum militum armari possunt. Arces hîc duæ satis munitæ, *Cephalogna*, & *Assò*.

Regitur per Prouidadorem nobilem Venetum, cum Quæstore item nobili quem *Carmelengo* dicunt; vectigal eius Insulæ est 12. millium Ducatorum.